MONITA

AD CONTINENDOS SACERDOTUM

MORES

MONITA

AD CONTINENDOS SACERDOTUM MORES

SELECTA

EX SACRIS CONCILIIS

ET SS. PATRIBUS



PISIS

EX TYP. ARCHIEP. APUD P. ORSOLINI-PROSPERI

1872

3. Cui portio Deus est, nihil curare debet præter Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. *S. Ambr, de fuga sect. c. 2.*

4. Qui Deum hæreditate possident, absque ullo impedimento sæculi Deo servire studeant, et pauperes spiritu esse contendant, ut congrue illud Psalmistæ dicere possint. Dominus pars hæreditatis meæ. *S. Isid. Hispal. l. 2. de offi. cart.1.*

5. Portio nostra sit Dominus, atque ut adscripti turmis contribulium Levitarum, non remaneamus terreni, quibus terra non remanet, inchoemusque ut a sæculi lucris, sic quoque a culpis peregrinari. *Sidon. Apollin. l. 9. Epist. 3.*

6. Eligant sibi alii partes, quibus fruantur, terrenas, et temporales. Portio Sanctorum Dominus æternus est. Bibant alii mortiferas voluptates, portio calicis mei Dominus est. *S. Aug. in Psal. 15. 5.*

7. Nemo est in cælestibus gloriosior, quam qui, repudiato patruum stemmate, elegit sola Christi paternitate censeri. *S. Hilar. Arel. fer. de S. Honorato.*

8. Sacerdotium Principatus est, ipso etiam regno venerabilior, et major, nam Rex rerum terrenarum administrationem sortitur, verum Sacerdotio thronus in Cœlo collocatus est, et de cœlestibus negociis pronunciandi habet auctoritatem. *Chrysost. hom. 5. in verba Isaiæ.*

9. Sacerdos Dei altissimi, cui ex his placere gestis, mundo, an Deo? si mundo, cur Sacerdos? si Deo, cur qualis populus, talis, et Sacerdos? nam si placere vis mundo, quid tibi prodest Sacerdotium? nec enim potes duobus Dominis servire etc. Volens itaque placere hominibus, Deo non places, si non places, non placas. *S. Bern. Epist. ed Henric. senon. post init.*

10. Venis ad hominem crucifixum? crucifixus venias, aut crucifigendus; qui enim sunt Christi, crucifixerunt corpora sua cum vitiis, et concupiscentiis. *S. Petr. Dam. ser 1. in festo exaltat. S. Crucis.*

11. Ea est vera pietas, quæ præponit divina humanis, sanctiora cæteris, ad hoc munus eliguntur ministeria Levitarum, quorum portio Deus: nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt, quoniam Sanctis omnia Deus est. *S. Ambr. Epist 56.*

12. Væ ve in domo Dei horrendum videmus. Quid ni? idololatras ministrantes, mentior si non idolorum servitus avaritia est *S Bern. declam. in Evang. Ecce nos etc.*

13. Vacuum a sæcularibus oportet esse animum divinæ servitutis obsequio consecratum, magnis es addictus; noli minimis occupari. (*Petr. Blef. de inst. Ep.*

14. Nunc periculum est, ne ordo omnium sanctissimus, omnium maxime sit ridiculus, non enim dignioru, sed potentiorum Throni sunt. *S. Greg. Nazianz. orat. 20. ante med.*

15. Etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini sem-

per deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. *Conc. Trid. sess. 14. c. 6. de ref.*

16. Grandis, et perversus nimis abusus est (Clericalem habitum non deferre) in quo Deus irrideri dicitur, obscuratur decus Ecclesiæ, Clericalis ordinis celsitudo deprimitur, Christus a suis militibus ferentibus insignia aliena deseritur, decus honestatis Ecclesiæ maculatur, dum Clericum a laico despiciens oculus non discernit, fitque omnibus vere fidelibus in scandalum, et in despectum. *Conc. Londen. ann. 1248.*

17. Non modica res est unam Missam facere, et valde felix est qui unam digne celebrare potest. *Alex. II. rel. in c. sufficit de consecr.*

18. Flens dico, gemens denuncio, quia cum Sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. *S. Greg. Epist. 5. lib. 4. ad Vigil. Epi.*

19. Multi Sacerdotes, et pauci Sacerdotes, multi nomine, et pauci opere. *Imperf. ho. 45.*

20. Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa presumptione redditur indignus. *S. Thom. 2. 2. quæst. 100, a 5. ad 3,*

21. Nullus magno, et Deo, et Sacrificio, et Pontifice dignus est, nisi qui prius semetipsum viventem hostiam, et sanctam exhibuerit. S. *Greg. Naz. or. 1. prope finem.*

22. A nullo plane omnipotens majoris injuriæ præjudicium tolerat, imo deterius nemo peccat, quam

Sacerdos, qui prohibentibus Canonibus, indigne sacrificat. Aliter in quocunque modo peccantes, quasi Dominum in rebus ejus offendimus, indigne vero sacrificantes, velut in personam ejus manus inijcere non timemus. *S. Petr. Dam. lib. 4. Epist. 14.*

23. Quo affectu, ac proposito accedant ordinandi, videndum, acurateque investigandum. Num videlicet Dei causa tantum, an potius suæ comoditatis gratia, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi? Quid est enim sua quærere, et non quæ Christi sunt? nisi cum tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt, temporalia commoda sequentes, lucris inhiantes, et honores expetentes. Quisquis ergo talis est, non est ovili Christi idoneus Pastor futurus, sed Mercenarius est. *Conc. Colon. 1. p. 1. cap. 91.*

24. Obsecro te, et repetens iterumque monebo, ne officium Clericatus, genus antiquæ militiæ putes, idest ne lucra saeculi in Christi quæras militia: ne plus habeas, quam quando Clericus esse cæpisti, etc. Nonnulli enim sunt, qui possideant opes suo Christo paupere, quas sub locuplete, et fallace diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. *S. Hjero. ad Nepotian. post init.*

25. Ipsa Ecclesiæ dignitatis officia in turpem quæstum, et tenebrarum negotium transiere: nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, etc. *S. Bern. fer. 6. in psalm. Qui habit. sub finem.*

26. Hodie in promotione quorundam, prima quæstio est, quæ sit summa redditaum, non quæ fit conversatio subjectorum. Veruntamen Deus non irridetur. Ad honorem vocavit te propter onera, non ad multiplicandum numerum familiæ, aut equorum, non ad dandas parentibus dignitates, sed ad dandam scientiam salutis plebi ejus. *Petr. Bles. Epist. 15.*

27. Si quis gradus Ecclesiasticos, et ministeria Sanctuarii eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria, evangelizat ut manducet, et perverso nimis ordine, cælestibus terrena mereatur. *S. Bern. in. in declam. c. 5.*

28. Nullus gravius convincitur peccare quam præsbyter, qui vel per imperitiam, vel reprobam vitam, dum indigne ministrat, quanfum ad se salutaris victimæ sacramenta contaminat. *Petrus Dam. l. 4. Epist. 14.*

29. Hoc adulterinorum Præsulum est, eoque munere, quod profitentur indignorum; qui cum nihil prius ad sacerdotium attulerint nullas ærumnas virtutis causa pertulerint, discipuli simul, magistrique pietatis creantur, aliosque ante purgant, quam ipsi purgati fuerint; Heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri prophani, hodie sacrorum Antistites, Veteres vitio, pietate rudes, et recentes. *S. Greg. Nazia. or. 21. post init.*

30. Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare, melius est enim Domini Sacerdoti paucos habere ministros, qui

possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant. *S. Clem. Pp. Ep. 2. refert. dist. 23. c. tale.*

31. Divinos ordines largiri, oportet districti semper esse judicii, rarum enim est omne, quod magnum. *Zosim. Papa Epis. 1. ref. dist. 59. c. si officia.*

32. Sicut caput Ecclesiæ Christus, Christi autem Vicarii Sacerdotes, sic et in eligendis his curam oportet esse præcipuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis, nec quidquam illi deesse personæ, penes quam est Religionis summa, substantia disciplinæ. *Hormisd. Pp. Epist. 25.*

33. Nullus Laicus ad quemlibet gradum Ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum habitum, diuturna conversione inter Clericos fuerit comprobatus. *Concil. Rom. ann. 1059.*

34. Tempora a majoribus constituta serventur, nec cito quilibet Lector, cito Acolytus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat, quia in minoribus officiis, si diu perdurant, et vita eorum pariter, et obsequia comprobantur, ut ad sacerdotium postea, emensis stipendiorum meritis, veniant, nec præripiant quod vita probata meretur accipere. *Innoc. 1. Epist. 3. ad Felic.*

35. Manus cito nemini imposueris, atque communicaveris peccatis alienis. Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?

Et quid est communicare peccatis alienis; nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari! *S. Leo Epist. 87. c. 1.*

36. Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem, et mansuetudinem rusticorum. Nescit se ipsum contemnere, non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit, et assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit etc. Nondum discipuli jam magistri. *S. Hieron. Epist. ad Ocean. sub finem..*

37. Sic decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. *Conc. Trid. sess. 22. c. 1. de ref.*

II. Quæ ipsum Sacerdotem, ejusque Virtutem, profectionemque respiciunt.

1. Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis Cœlis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret. *Chrysos. lib. 2. de Sacerd.*

2. Id primo maxime studete, ut in conspectu Dei omnipotentis puro corde, et casto corpore ministretis. *Concil. Mediol. 4. in monitionibus.*

3. *S*ancti eritis, quoniam ego Sanctus sum. *(Levit. 11. 45.)* Non solum, inquit, a peccatis puri, sed Sancti, Sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia spiritus, et bonorum operum copia. *Chrysos. hom. 17, in Epis. ad Heb.*

4. Tantum ab ambitu debet esse sepositus (qui promovendus est) ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim, indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. *l. 30. c. de Episc. et Cler.*

5. Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat. *S. Gregor. Pastor. p. 1. c. 9.*

6. Quid sibi vult quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt etc. nempe habitu milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent? namque neque ut milites pugnant, neque ut Clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt? cum utriusque esse cupiunt, utrumque deferunt, utrumque confundunt etc. Vereor istos non alibi ordinandos, quam ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *S. Bern. l. 3. de conf. c. 5.*

7. Mundamini qui fertis vasa Domini (*Isa. 52.*) Quanto mundiores esse oportet, qui in manibus, et in corpore portant Christum, quibus Apostolus dicit, portate Chsistum in corpore vestro? Sacerdotem hoc sentire oportet, quod, et in Christo Jesu, non solum ut per se humilitatem exinaniat, sed ut crucifixionem Domini repræsentans, stigmata ejus portet in corpore suo, et in ara cordis se ipsum Domino crucifigat. *Petr. Bles. Epist. 123.*

8. Uno die sanctos fingimus, eosque sapientes, et eruditos esse jubemus, qui nihil didicerunt, nec ad sacerdotium quidquam attulerunt præter velle. *Nazia. or. 20.*

9. In omni incessu, statu, gestu, vultu ordinem suum Sacerdos, et Clericus profiteatur, omni clericalis vitæ actione religiosi animi mores exprimens, qui in Ecclesiastici ordinis hominibus elucere debent. *Concil. Mediol. 4. p. 2. const. de vit. et ho.*

10. Si altiorem, quam meliorem esse delectat, non præmium, sed præcipitium expectamus, S. *Bern. Epist. 27. ad Ard.*

11. Plerunque quod in Laicis culpa non est, hoc crimen est in sacro Ordine constitutis. *S. Greg. Epist. 5. lib. 8.*

12. Inter seculares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ; interdum tamen si incidunt, ferendæ fortassis, referendæ nunquam etc. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est etc. foede ad cachinnos moveris, fœdius moves. *S. Bern. l. 2. de Consid. c. 13. sub. finem.*

13. Quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane crimen immane, ne sit honor sublimis, et vita deformis, ne sit deifica professio, et illicita actio. *S. Ambr. de dign. Sacerd. c. 3.*

14. Monstruosa res gradus summus, et animus infimus, sedes prima, et vita ima, lingua magniloqua, et manus otiosa, sermo multus, et fructus nullus, vultus gravis, et actus levis, ingens authoritas, et nutans stabilitas. *S. Bernard. l. 2. de Consid. c. 7.*

15. Ridere, et rideri secularibus derelinque, gravitas tuam personam decet. *S. Hieron. Epist. 8. cir. med.*

16. Spreta in vestibus forma ecclesiasticæ honestatis, plurimi delectantur esse deformes, et cupiunt laicis conformari, quodque mente gerunt, habitu profitentur. *Concil. Constant. Martinus Pp. sess. 43.*

17. Alii, si sæpe delinquunt, possunt tamen ad veniam pervenire: si vero Magister ipse patiatur, omni satisfactione privabitur, et supplicia extrema persolvet. *Chrysost. in c. 5. Matth.*

18. In Clero tanquam in Cœlo gerens iniqua, quid nisi de ministerio judicetur? Cæleste tenet officium, Angelus Domini exercituum factus est, tanquam Angelus, aut eligitur, aut reprobatur, inventa quippe in Angelis pravitas, et districtius judicetur necesse est, et inexorabilius, quam humana *S. Bern. declam. ante med.*

19. Dolore potero, potero flere; adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ arma sunt: Talia enim munimenta sunt Sacerdotis. *S. Ambr. ad Auxent. post Epist. 32.*

20. Nemo in Ecclesia nocet amplius, quam qui perverse agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet; delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. *D. 83. c. Nemo ex D. Greg.*

21 In Judicio Dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui Ecclesiastica decreta neglexerit. *S. Clem. Epist, I. in fin.*

22. Ad hoc sancte vivendum est Sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet, si quod prædicat fieri debere, non faciat, aut si quod non facit, prædicare præsumpserit. *S. Prosp. lib. 1. de vita contempl. c. 20.*

23. Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas? Christum alloquaris? Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus, illum audimus, cum divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? *S. Ambr. l. 1. offic. c. 20.*

24. Vestes pullas æque devita ut candidas ornatus, ut sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. *S. Hieron. Epist. ad Nepot.*

25. Talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam, et vanam gloriam; Unde Beatus Hieronymus; Non facit ornatum Clericum tenera vestis, sed munditia mentis. *S. Bern. de modo bene viv. ser. 9.*

26. Omnis his *(Clericis)* cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti de anulis radiant, et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato, quam Clericos. *S. Hieron. Epist. 22. ad Eccl.*

27. Cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestium

cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus etc. Non Christi stigmata sunt hæc, muliebria potius esse noscuntur insignia. *S. Bern. Ep. ad Henric. sen. post init.*

28. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. *Id. Apolo. ad Guill.*

29. Assidue, et devote orare, sicut, et lectioni perfecte intendere, sunt opera Clericorum. *Synod. Lingon. Ann. 1404.*

30 Arma Clericorum sunt orationes, et lacrymæ, *Concil. Aquileiæ 1. de vita, et hon. Cler.*

31. Necesse est attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes concelebrare; non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu. *Concil. Mediol. 4. in moni.*

32. Quam multi sonant voce, et corde muti sunt, et quam multi tacent labiis, et clamant affectu! quia ad cor hominis aures Dei: Sicut aures corporales ad cor hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur. Affectionibus orare debemus. *S. Aug. in Ps. 119.*

33. Non brevi crimine tenetur astrictus quisquis in oratione cum Deo loquitur, et subito abstrahitur ab ejus conspectu, quasi ab oculis non videntis, nec audientis. *Idem Manual. c. 29.*

34. Sodalitas mulierum gluten est delictorum, et venenum toxicatum, quo diabolus aucupatur. S. *Cypr. de sing. Cleric. post init.*

35. Prima tentamenta sunt Clericorum, fœminarum frequentes accessus. Iste sexus reprehensibiles exhibet Clericos. Quid tibi revera cum fœminis, qui ad Altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici, aratores, ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, si contra depositum fidei, cum fœminis habitare contendis. Prohibe virgines tecum commorari, etiam quæ de genere tuo sunt. *S. Hieron. Epist. ad Ocean. ap. Conc. Aquisgran.*

36. Mulierum congressus, vir optime, quantum fieri potest fuge, nam eos qui Sacerdotum munere funguntur, sanctiores, ac puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt, siquidem illi, et sui, et plebis, hi autem sui dumtaxat curam gerunt. Quod si etiam, ut cum illis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi dejectos habe etc. cumque pauca, quæ ipsarum animos perstringere, atque illustrare queant, locutus fueris, statim avola, ne forte diuturna consuetudo vires tuas emolliat. *S. Isid. Pelus l. 2. Epist. 184.*

37. Sanctus Augustinus dicit Sermo brevis, et rigidus cum mulieribus est habendus; nec tamen quia sanctiores sunt, ideo minus cavendæ; quo enim sanctiores fuerit, eo magis alliciunt, et sub prætextu blandi sermonis, immiscet se viscus impiissimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus sum Episcopo loquor non mentior. Cedros Libani, id est contemplationis altissimæ homines; et gregum Arietes; id est magnos Prælatos

Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi, et Ambrosii. *S. Them. opus. 64. de modo confitendi, et puri. consc. ar. 22.*

38. Si propter officium Clericatus, aut vidua visitetur, aut virgo; nunquam domum solus introeas. Solus cum sola secreto, et absque arbitro, vel teste non sedeas. Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita. *Hieron. Epist. ad Nepot post init.*

39. Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, et Virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites; nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior David nec Sampsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. *Id. ib.*

40. Consortium mulierum Sacerdoti non convenit, quem castitas, et continentia ornare perpetuo debent. Et ut Castitas servari queat in muliebri consortio, raro tamen bonum nomen retineri potest. *Concil. Camerac. 3. de honestate Cleric.*

41. Ubique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia, sed quasi transeunter fœminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. *S. Cypr. de sing. Cleric. in fine.*

42. Quantos Leones domuit una muliebris infirmi-

tas delicata quæ cum sit vilis, et misera de magnis efficit prædam. *Id. ib.*

43. Cum Clerico fœmina nulla commaneat, non despecta, non vetula sine affinitate peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium, quia magis illic cito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum. Maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii, vel vilis existit: sed diabolus pingens, speciosum efficit, quidquid fœdum, et horridum fuerit. *Id ib.*

44 Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, et damnosa; spiritualibus tamen viris perniciosa est magis: maxime quando conversantur cum persona, quæ spiritualis videatur. Nam quamvis eorum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur. *Sanct. Thom. opusc. de Confess. etc.*

45. Rogo vos quantum valeo, et ultra quam valeo: Hæc sunt studia omnium clericorum, ut singularitatis inaccusabilis secessione fungantur, ne aut ipsi per fœminas, aut fœminæ per illos ad ignominiosa ludibria provocentur. *S. Cipr. de Sing. Cleric. sub finem.*

46. Judex sæculi plus deferet Clerico continenti, quam diviti, et magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes. *S. Hieron. ad Nepot.*

47. Non temere dico, sed ut affectus sum, ac sentio: non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animum; multas enim habet causas, quæ depellant ipsum a suis moribus, et innumeris oculis illi opus est undique. *S. Chrysostom. hom. 3. in Act. Apost. post. med.*

48. Homo Christianus fortiter cadit in peccatum propter duas causas, aut propter magnitudinem paccati, aut propter altitudinem dignitatis. Propter magnitudinem peccati, ut puta, si quis homicidium fecerit, aut aliud de gravibus peccatis, ille etsi de humili loco cadit, idest, etsi laicus sit, fortiter perit propter pondus peccati. De alto vero cadit, ut puta Clericus, cæteræque spirituales personæ, illi, etsi pondus peccati non habet, idest, etsi grande peccatum non fecerint, sed leve, tamen fortiter pereunt propter altitudinem dignitatis. *Imp. in Mat. ho. 40.*

49. Quis aliquando vidit Clericum cito pœnitentiam agentem? sed, etsi deprehensus humiliaverit se non ideo dolet, quia peccavit, sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. *Idem ibid.*

50. Laici delinquentes facile emendantur. Clerici autem, si mali fuerint, inemendabiles sunt. *Id. ho. 43.*

51. Nullum puto, ab aliis majus præjudicium quam a Sac. Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pra-

vitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Nulla animarum lucra quærimus; ad nostra quotidie studia vacamus. Dei causas relinquimus, ad terrena negocia vacamus, locum sanctitatis accipimus, et in terrenis actibus implicamur. *S. Greg. hom. 17 in Evang.*

52. Impietatis crimen est, neglectis Dei studiis, sollicitudines suscipere sæculares. *S. Clem. Epist. 1. post. init.*

53. Ne Clerici Sacris initiati, aut beneficiati se, suamque operam Laicis quantumvis nobilibus addicant, ad rerum domesticarum dispensationem, negociorum civilium procurationem, cellæ vinariæ, vel annonæ regimen, aut aliquid aliud vile, indecorumque suo ordini ministerium. *Concil. Rhemens. Ann. 1583.*

54. Debet esse mundo corde Sacerdos, ut non solum non se immisceat circa negocia sæcularia, sed nec cogitet de mundo. *Imperf. in Matth. hom. 12.*

55. A strepitu negociorum sæcularium remotissimus, studiis spiritualibus, quibus in dies singulos melior, ac melior fiat, invigilet. Amet otium sanctum, in quo exerceat animæ suæ negocium. Mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi blandientis illecebris exhibeat crucifixum. *S. Prosp. lib. 1. de vita contempl. c. 8.*

56. Grandis est condemnatio componenti sermonem suum, vitam vero suam negligenti. *Chrysost. serm. de Compunctione.*

57. Clericum solitudo facit, non publicum. *S. Hier. Epist. ad Ocean.*

58. Quam sit modestia Clericali indignum, qui paulo ante Breviarium manibus tractabat, eum publice accipitrem deferre; quique cum Angelis laudes Deo persolvebat, eum inter canum latratus, ac multitudinem versari, et incompositis obstrepere vocibus omnes satis intelligunt *Conc. Aquil. 1. de vita et honest. Cleric.*

59 Satis videtur absurdum, ut Clerici quis prætendat in ordine speciem; et sæcularium teneat vivendo conversationem, et quem a laicorum turmis professionis conditio separat: turpe est, si, vel domestica conversatio, vel peculii abominanda proprietas laicum esse convincant. Quid enim illius poterit concupiscentiam satiare cui non potest ipse Deus in possessione sufficere? *S. Petr. Damian. lib. 5. Epist. 9.*

60. Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie perire, aut vincere? *S. Hyeron. de vitando suspecto contubernio.*

61. Negotiatorem Clericum, et ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. *Id. ad Nepot. post init.*

62. Illud unusquisque Clericus sæpe repetat, se non ad inertiam, atque ignaviam, sed ad spiritualis, et Eclesiasticæ militiæ labores vocatum esse. *Concil. Mediolan. 4. de vita et honest. Cleric.*

63. Festinandum est nobis, ut a paucis, ac rarissimis sumamus exempla virtutum. *Cassian. Collat. 3. c. 7.*

64. Considera te de paucis, et electis effectum, et ne exemplo, ac tepore multitudinis refrigescas; sed vive ut pauci, ut cum paucis inveniri merearis in Regno Dei; multi enim sunt vocati, pauci vero electi, et pusillus est grex, cui complacuit Patri hæreditatem dare. *Idem l. 4. de Instit. renunt. c. 38.*

65. Convenit Pastoribus Ecclesiarum res Ecclesiæ possidere, non ab his possideri, et ut Prosper scribit, eas possidendo debent contemnere, et non sibi, sed aliis possidere. *Concil. Parisiens. 6. lib. 1. c. 18.*

66. Nihil aliud sunt res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum. *S. Prosp. l. 2. de vit. act. c. 9.*

III. Quæ proximum respiciunt.

1. Vita Clericorum liber est laicorum. *Concil. Turon. ann. 1537.*

2. Sic præsis, ut prosis: væ his, qui præsunt hominibus, nisi præsideat eis Deus. *Petr. Bles. de instit. Episc.*

3. Sacerdotem Dominus speculatorem appellat *(Ezec. 33.)* ut sicut speculatori est de loco editiori prospicere, et plus omnibus contemplari. Ita Sacerdos debet esse propositi sublimitate celsior cunctis, et majoris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viventes instruere. *S. Prosper. l. 1. de vita cont. c. 20.*

4. Bene vivendo, et bene dicendo populum instruis quomodo debeat vivere; bene autem dicendo, et male

vivendo Deum instruis quomodo te debeat condemnare. *Imperf. hom. 43.*

5. Si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia? *S. Leo Epist. 23.*

6. Non Sacerdotes præstant Deo, docentes populum ejus, sed Deus Sacerdotibus, committendo eis populum suum in spiritu. *Imperf. hom. 40.*

7. O præsumptuosa temeritas! ille præponitur ovili Dominico, qui nescit adhuc dominari spiritui suo. *Nicol. Pap. Epist. 2.*

8. Curritur in Clero passim ab omni ætate, et ordine, a doctis pariter, et indoctis ad Ecclesiasticas Curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad Curas devenerit. *S. Bern. Epist. ad Henric. senon. post med.*

9. Messis quidem multa, operarii vero pauci. Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus invenitur operator, quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. *S. Greg. or. 17.*

10. Tu te omnibus exhibe, cogitans te omnium servum, nec tibi, sed cunctis genitum te vivere credas, datum indoctis doctorem, consolatorem pauperum, solatium oppressorum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, et omnibus debitorem. *Petr. Bles. de inst. Epist. c. 2.*

11. Divinas scripturas sæpius lege, imo nunquam

de manibus tuis sacra lectio deponatur, disce quod doceas, obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana. *S. Hieron. Epist. ad Nepot.*

12. Tanta debet esse scientia Pontificis, ut et gressus ejus, et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet, et ornatu ut quidquid agit, quidquid loquitur sit doctrina populorum. *Id. Epist. 128. in fine.*

13. Sacerdotes Dei, omissis Evangeliis, et Prophetis, videmus Comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, et id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis. *Id. Epist. 146. ad Damas. circa med.*

14. Si Sacerdos est, sciat legem Domini, si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini Sacerdotem; Sacerdotis enim est scire legem, et ad interrogationem respondere de lege. *Id. in c. 2. Aggœi.*

15. Tam doctrina, quam vita clarere debet Ecclesiasticus doctor, nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit *S. Isidor. Hisp. lib. 3. sent. c. 36.*

16. Qui bene docet, et male vivit videtur, ut cereus aliis, dum bona exponit, lucem præstare, se vero in malis suis consumere, atque extinguere. *Id. ibid. c. 37.*

17. Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat; Cur hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister

est, qui pleno ventre de jejunis disputat. Accusare avaritiam, et latro potest, Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent. *S. Hieron. ad Nepot.*

18. Consolatores non potius in mœroribus suis quam convivas in prosperis noverint Laici. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat. *Id. ib.*

19. Numquam petentes, raro accipiamus rogati, beatius enim est magis dare, quàm accipere, nescio enim quommodo etiam ipse, qui deprecatur ut tribuat, cum acceperis viliorem te judicat, et mirum in modum, cum rogantem contempseris plus te veneratur. *Id. ib.*

20. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum; et sacrilega eis crudelitate surripitur quidquid sibi ministri, et dispensatores, non utique domini, vel possessores ultra victum accipiunt, et vestitum. *S. Bernard. in declam. c. 7.*

21. Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sarcilegium est. *Id. Epist. 2. ad Fulcon. prope finem.*

22. O quanta abusio est Christi ditari divitiis, et Christo velle nil tradere! Nonnè thesauri Christi sunt facultates Ecclesiæ? Unde temporalia Ecclesiis sunt prærogata stipendia? nonnè propter Christum? nonnè ut pauperibus erogentur? Noli igitur tu, qui præsides, retinere quod alienum est, ne furti reprehendaris in

causa. *B. Laurent. Justinian. de compuntione, et complantu Christianæ perfectionis.*

23. Ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sunt iis ut pauperibus, distribuant. Eas autem non distribuant, nec dissipent illorum causa: immo quam maxime potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosve carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. *Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. de reform.*

24. Grandis in suos pietas, impietas in Deum est. *S. Hieron. Epist. 25. prope finem.*

25. Non differat quæso, non evacuet propositum tuæ conversionis proditoria, et seductrix affectio parentelæ. Noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo. *Petr. Blesens. Epist. 1.*

26. Multi pro parentibus suis re animas perdiderunt quorum occasione mundus, qui in iis aruerat, denuo revirescit etc Impius est, qui animæ suæ pro parentibus est crudelis; majoremque temeritatem hac nemo habet, quam ut animam suam ponat quis ita periculose pro amicis suis. *Id Ibid.*

27. Hæc vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, et quædam alienatio charissimorum, ut suis se abneget, qui servire Deo gestit. *S. Ambr. de fuga sec. 12.*

28. Erubescant Sacerdotes si sacratiori vitæ inve-

nientur Laici, qui hujus mundi fluctibus sunt immersi. *Pet. Bles. ser 12.*

29. Quomodo autem non sit confusio esse illos inferiores Laicis, quos etiam æquales esse confusio est? *Imperf. in Matt. ho. 40. post init.*

30. Non solum Episcopi, Præsbiteri, et Diaconi debent magnopère providere, at cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, ac scientia præcedant; verum etiam et inferioris gradus Exorcistæ, Lectores, Æditui, et omnes omnino, qui domui Dei deserviunt. Quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores Laicos esse, quam Clericos. S. *Hyeron. in cap. 2. Epist. ad Tit.*

31. Tantum inter Sacerdotem, et quemlibet probum interesse debet, quantum inter Cœlum, et terram discriminis est. *S. Isidor Pelus. lib. 2. Epist. 205.*

32. Tanto antistare cæteris Clericos oportet devotione, quanto antistant omnibus dignitate. Et tantum excellere merito, quantum gradu. *Salvian. lib. 2. ad Ecclès. Cathol.*

33. Quo modo enim potest observari a populo, qui nihil habet secretum a populo, dispar a multitudine? Quid enim in te imitetur si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat? si quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? *S. Ambros. lib. 1. Epist. 6.*

34. In te omnium oculi diriguntur, domus tua, et conversatio tua quasi in specula constituta, magistra

est publicæ disciplinæ. Quidquid feceris id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas quod, aut qui repræhendere volunt digne lacerasse videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere. *S. Hieron. Epst. 3. ad Heliodor. post med.*

35. Litigiosus prohibetur ordinari, quia, qui sua potestate discordantes ad concordiam debet attrahere, qui oblationes dissidentium prohibetur recipere nequaquam litigandi facilitate debet alios ad dissidum provocare. *Dist. 90.*

36. Non erit bonus Clericus qui non fuit bonus Monachus (idest solitarius). *S. Aug. Epist. 76.*

37. Sicut omnis Sacerdos, et Clericus ab omnibus segregatur, et assumitur in his, quæ sunt ad Deum; ita debet eximi, et separari ab hominibus sæculo, et mundo servientibus, sive in sermone, sive in exteriore quocumque habitu, et gestu, ut internoscatur servire Deo, et non mundo. *Synod. Ebroic. ann. 1576.*

38. Oro atque obsecro summo mane cum a domo exieritis, hanc unicam intentionem habeatis, et hoc ante omnia studium, ut aliquem e periculis liberare possitis. *Chrysost. Hom. 60. in Math.*

39. Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis junguntur, et dicite: magnificate Dominum mecum. Rapite quos potestis hortando, portando, rogando, disputando, rationem reddendo cum mansuetudine, et lenitate, quo eodem omnes amoris spiritu Deum magnificent. *S. Aug. ser. 3. in Psal. 73.*

40. Si liceret cor nostrum disrumpere, ac ostendere, videritis intus esse in magna latitudine vos omnes mulieres, pueros, et viros. *Chrys. hom. 44. in Act.*

41. Sacerdotis est prodesse, si fieri potest, omnibus, obesse nemini. *S. Ambr. offic. l. 3. c. 9.*

LAUS DEO, ET B. M. V. I.